HYGINI ANECDOTON.

BURSIANO KIEHLIUS S. P. D.

S. V. B. E. E. V. Quam felicem Te praedico, Vir Doctissime et Elegantissime. Dum enim nidum servo, Tu *Graeciam* invises, *Theseum*que Tibi patebit, et *Acropolis*, spectabis in ipsa *Hellade* venerabiles illas reliquias, quarum felicissimus es interpres, studiaque persequeris, quibus in splendidissima *Parisiorum Lupara* vacantem Te aegre reliqui. Ubi utinam diutius Tua consuetudine frui licuisset. Utinam cum LONGPERIERO, viro eximio, cuius summa humanitas doctrinam aequat, saepius Te sermones agitantem audiissem, quos vel absens mirifice recordor et desidero. Sed Te fratres HELENAE, lucida sidera, quorum et Tu redintegrasti memoriam gloriamque auxisti erudita de LEUCIPPIDIS commentatione, benigni tueantur. Ego vero redux in patriam factus, simulatque a negotiis vacavi, id ipsum egi, ut Tua in *Academiae Leidensis Bibliotheca* mandata peragerem, quae Tu Vir Doctissime forte mei periculum facturus subobscure in tabellis Tuis significasti. Vel sic tamen cum magno meo fructu ea sum exsecutus, quem laborem philologis quoque aliquantulum spero et cupio profuturum, dummodo bene rem gesserim, qua de re iam Tibi iudicare licebit.

Te igitur duce, libros IULII HYGINI manuscriptos perlustravi, qui in *Bibliotheca* asservantur, quorum usum GEELIUS, vir clarissimus, ita permisit, ut vel ipse interdum optimam iis utendi rationem mihi indicaret. Qua in re statim levitatem observavi hominis celeroquin gravissimi suique pleni e nostratibus, quem etiam RUHNKENIUS nomine doctoris umbratici merito

exagitavit, Augustini van Staveren, qui nos magna ista mole beavit, *Mythographis Latinis.* Iste in praefatione ea, quam ipse conscripsit (nam et praedecessores, Schefferum Munckerumque, feliciter expilavit, et *Leidae* de *Leidensibus* manuscriptis agens Munckerum Livii exemplo maluit exscribere, quam adscendere ipse in *Capitolium,* ut suis sibi oculis, quid inscriptum esset Cossi spoliis, exploraret), haec dicit p. (viii): »Celeberrimus vir Tib. Hemsterhusius, cujus clarissimo lumine Academia Lugduno-Batava nunc inlustratur, humanissime, quem »possidebat, codicem membranaceum utendum mihi praebuit" quae ut lenissime dicam, in maius auxit vir fatuus, quem ne vidisse quidem umquam Hemsterhusii codicem in ipso ubi scribebat oppido exstantem persuasissimum mihi habeo. Est enim ille codex, ut statim inspicienti patebit, initio mutilus, incipiens a libri *Poeticon Astronomicon* alterius capite quarto decimo, a vocabulis hisce: »Qui cum maxime apollini esset di»lectus", quod codicis initium esse mihi crede, etiamsi qui tradiderint, »dilectus esset" in membrana esse scriptum. Codicem nunc Novi Mss. Catalogi n°. 425 (XVIII. 225) membranaceum esse, saeculi XII, foliorum 67 in octavo, Geelius in Catalogo tradit, ubi et commemorat, fragmentum *Poeticon Astronomicon* in primis duodeviginti foliis esse scriptum, dum folia ab undevicesimo ad sextum et vicesimum excerpta eiusdem Hygini continent, duo sequentia vacua sunt relicta. Superscripsit libro formae exiguae satisque eleganter scripto manus longe recentior sed non ipsius clarissimi luminis Tib. Hemsterhusii: »Hyginj Poeticωn Astronomicωn Liber II"; plura etiam exstant in charta volumini addita pangendi causa, nempe haec:

Hygini poeticων Astronomicωn
Lib. 2us
Juliani Urbis Toletanae Epi Liber
pronosticorum futuri saeculi

quod opusculum cetera codicis parte continetur. Ultima operis Hyginiani vocabula sunt haec: »Noctis autem spacium consti»tuerunt esse, quamdiu sol ab occasu rursum ad | exortum re»vertatur. Mensem autem quamdiu luna zodiacum circulum »perdu | cat. Annum uoluerunt esse cum sol ab estivo circulo »redeat. FINIT." Verum igitur est, quod refert Staverenus,

»Et zodiac." et cetera (sex scilicet vocabula) deesse *Hemsterhusiano*, sed aeque verum, quod tacet, *redeat* plane in codice exstare, dum editio »*redit*" praebeat. Sed qualem praeterea palmam meritus sit AUGUSTINUS mox apparebit; nos alios interea codices evolvamus.

In quibus recensendis ne omnino praetereatur, annotationes PERIZONII, et HEINSII coniecturas ad *Fabulas*, in *Bibliotheca* nostra asservari. Sed hoc nunc non moramur. Neque diu nos detinebit liber prioris Catalogi *Voss.* 15, membr. in oct., saeculi fere undecimi, olim 290 e *Voss.*, quemque eundem STAVERENUS *Voss.* tert. appellat. Idem codex littera A significatur in exemplari editionis Schefferianae (*Hamb.* 1674. 8°) cuius margini vir quidam doctus, OUDENDORPIUS ut videtur, lectiones ex hoc Mso haustas non prorsus ea quam requiramus cura adscripsit. Sed haec levitas in describendo alibi etiam maior quantopere bonis litteris nocuerit, satis doleri non potest et vix satis dici. Quae quantopere grassata sit in AESCHYLO mox scriptione illum poetam unice spectante ostendere conabor, Tu interea persuasum Tibi habeas, huius codicis Hyginiani novam collationem requiri, si quis bonam duraturamque HYGINI editionem parare cupiat. Quamquam in hoc argumento versantes ipsi fatebuntur, se posteris non valde placituros, misellis grammatici huius commentis ubi prospexerint.

Inscribitur liber rubro colore, fol. cod. 155 recto:

»HIGINUS M. FABIO PLURIMā SALUTEM."

»Etsi te studio gramaticę *) artis inductū, ñ solū versuū mode
»ratione quā pauci peruider s. historiarū qq uarietate q sci
»entia rerū"

finiturque fol. 188 recto vocabulis his:

»Msē aut quā | diu luna zodiacū circulū perducat. Annū uoluer.
»ēe. cū sol ab ęstiuo circulo |

EXPL.

Vides iterum deesse ultima vocabula; quod cum multis superioribus, quod mox apparebit, bonus VAN STAVEREN annotare

*) ę indicat e cum signo eodem, qui typus non adest.

omisit, sic etiam refert, hanc codicem praebere *Varia aetate*, statim post ipsum Hygini initium; habet autem »uarietate."

Iam quid attinet Te monere, quam facile sit non errare in illis prima ultimaque codicum vocabula spectantibus, quam gravis autem unusquisque error fieri possit, et quid igitur de eo homine censendum sit, quem obstrictum habet, qui eius librum vel obiter inspexerit, contuleritque cum fontibus.

Non cognovit Staverenus librum sequentem. Habuit quidem codicem, quem *Leidensem* dicit, sed illud videtur fragmentum fuisse. Non enim loquitur de *Leidensi* Mso in praefatione, neque ulla est eius codicis lectio ad librum primum vel ad capita alterius libri quindecim priora; in fine sexti decimi lectore non monito desinunt lectiones *Vossiani* tertii incipiuntque codicis *Leidensis*: eae vero lectiones, quas e *Leidensi* adducit Staverenus, differunt a lectionibus hodieque in *Vossiano* tertio luculenter exstantibus. Desinunt lectiones e *Leidensi* eiusdem libri capite altero et vicesimo in fine, redeunt excerpta e *Voss.* tertio in capite quarto et tricesimo ad initium, cuius capitis post finem iterum deficiunt. Statim vero in ipso initio libri tertii inveniuntur *Leidensis* codicis lectiones frequentissimae usque ad finem Stavereno notam libri quarti ultimique: contra e *Voss.* tert. nulla posthac adducitur. Lectiones vero, quas e codice quovis apponit Staverenus, semper maximo sunt numero, ita ut ex earum defectu conficere liceat, Staverenum collatione ad eos locos caruisse.

Codex autem, quem Stavereno incognitum dixi, quattuor libros continet, et e *Vossianis* est (18 Catal. prioris, olim 237, chart. in oct., saec. quinti decimi) qui a *Leidensibus* proprie dictis separati asservantur. Deinde etiam propterea Stavereni *Leidensis* esse nequit, quod medio capite libri quarti nono explicit, his verbis:

solis Etsi nonnulli dixerunt incursu solis e-
uenire ut quum peruenerit ad eum locum
ubi occiderē dicatur ibi montium magni-
tudine

Titulus in codice nullus est, magnum etiam H omittitur, sed exstat indicans annotatiuncula et spatium ei recipiendo accom-

modatum, unde fit, ut versus codicis quattuor primi ceteris sint breviores. Tenor autem hic est:

IGINVS. M. fabio sal̄ & si te studio
grammaticę artis inductum non so-
lum uersuum moderatione quam
pauci peruiderunt sed historiarum
quoq; uarietate qua scientia rerum uidetur

Sequitur liber vetustissimus, saeculo decimo vel nono ad finem vergenti adscribendus, forma minima. Eum STAVERENUS *Voss.* primum dicit, n°. 269; nunc est 84 Catal. prioris, membr. in oct. Manus multo serior primae paginae inscripsit:

Hygini astronomica

ceteroquin ab his incipit vocabulis:

ETSI TE STUDIO GRAMATICAE ARTIS INDUCTŪ
uam
non solū ūsuū moderatione q pauci peruiderunt
o ur
s, historiarū qq; uarietate qua scientia rerū perspicit
t
p̄stare uideo quę facilius &iā scriptis suis perspici potest.
considerans potī

Ultima autem codicis vocabula haec sunt:

Mensē
aut̄. quandiu luna zodiacū circulū perducat. Annū
os
uoluerunt ēe. cū sol ab ęstivo circulo rediens. ccc
Lxv su . cursu transigit
dies

Leidensis, auctore VAN STAVEREN, »rediens LXVI. dies cursum »transigit." Quae quam prope a nostris absint iam vides. Sed accurate haec persequi nequeo, nec nisi obiter inspexi de quibus scribo, permulta enim obstrictum me tenent, neque si vacarem a negotiis, ab HYGINO prae ceteris allectum me iri opinor. Sin vero post centesimum nunc annum et quod excurrit STAVERENO novus subnascatur HYGINI editor (et melior STAVERENO), his insistens qualibuscumque fundamentis manuscriptos *Bibliothecae Leidensis* nullo negotio in suos usus convertere poterit, eique cuius locum Tu iam tenes, satisfecisse unicum est, quod nunc quaero.

Sed restat gravissima pars laboris haud ita gravis. Cum ceteris enim libris adducit VAN STAVEREN *Voss.* quem dicit secundum, qui liber nunc 92 Catal. prioris est, olim 314, membranaceus in quarto, saeculi tertii decimi. Eum codicem se contulisse cum MUNCKERI editione dicit AUGUSTINUS noster, cui cetera etiamsi condonari possent, hac tamen in re erroris tenetur, cui ignosci nequit, et unde luculenter apparet, quamnam fidem eius affirmationes mereantur. Ex *Voss.* 2 ultimam lectionem ad ultima suae editionis vocabula adducit hanc: »descendens CCCLXV »dies suo cursu transigit." Hoc in annotationibus: ad finem textus adscribit: »Caetera desiderantur."

Sed, Vir Doctissime, in eodem codice, eodemque folio et pagina, quibus versu octavo est lectio a STAVERENO adducta, versu nono invenies fragmentum HYGINI, quod ignorabat STAVERENUS. Qui si hunc codicem, ut modo *Hemsterhusianum*, obiter tantum inspexisset, necessario statim videre debebat, esse alterum initio mutilum, alterum ampliorem in fine. Sed homini irasci desinam duplicem ob causam: est enim aliquid condonandum aetati, qua vixit, quaque nondum omnes intellexerant, quod hodie nemo non et nemo populari tuo DÜBNERO melius perspexit, accuratam vel in minutissimis collationem Msi cuiusque esse oportere, eosque esse improbandos, qui taedio laboris haud ita facilis et fere ut vocant mechanici, memorabiliores scilicet lectiones annotant, de ceteris securi. Illi sane operi manum admoventes iam de inventis iudicare sibi licere opinantur, et ut hodieque nondum emortua sit earum stirps, ita luxuriose florebat, quo tempore *Mythographi* prodiere. Altera est causa, quod maiores incusare nolo, neque hoc nostratibus e more est. Venerantur illi quaevis antiqua, suspiciunt maiores optime sane meritos, senes maxima prosequuntur reverentia. Quod quam virile sit, quam dignum et sapientiae plenum, omnes intelligunt et ipse admiror, modo ne prae veterum reverentia contemnantur recentiora quaevis. Cui malo proclivis unus et alter e tristioribus: o cives, cives, quaerenda canities prima est, virtus post annos, eiaculant, et ceu *Mauretaniae* iste tetrarcha vel imperitum imberbi legatum anteponunt. Nae illos di deaeque, non dicam ego perduint, sed ad saniorem mentem revocare velint, priusquam, quod merentur, et bar-

baro minatus est iracunde nobilis olim *Hispanus*, hircos admittere cogantur, omnium legatorum barbatissimos. Nos igitur STAVERENUM, saeculo abhinc mortuum, suo sibi honore frui patiamur, et potius ut PHILIPPO gratias ei agamus, quod futuris βουκεφάλου illius HYGINI ALEXANDRIS aliquid efficiendum reliquerit. Fragmentum igitur, quod omisit, duarum fere paginarum est, per tres autem distributus a folii septimi et tricesimi versi nono versu usque ad sequentis folii versi item nonum. Quod equidem et descripsi, et contuli, collationem deinde cum apographo comparavi, textuque effecto quem nunc exhibeo, iterum codicem cum hoc textu comparavi, eaque est collatio hic ad calcem apposita. Priore autem vice codicem nostrum contuli cum *Novis Actis Eruditorum* a. 1769, mensis autem *Iunii*, pp. 284 sqq., ubi hoc de argumento leguntur quae subiicio: »Ven. Well." (Venerabilis WELLERUS *) : »nactum se esse refert »pag. 230 11. Cod. scriptum ex Bibl. Fribergensi, in quo .... »reperitur HYGINI Poeticon Astron. cum particula aliqua, quae »defuit hucusque in exemplis editis. Operae pretium igitur »existimavit, totum describere, nec quoniam nimis longa est, »nos quoque dabimus lectorum curiositati, ipsis certe non in»grati quid facturos existimantes. Scilicet ultima verba, qui»bus finitur opus Hygini in libris editis, statim sequuntur haec." Subiungitur fragmentum. Vides Vir Doctissime plane eadem occurrere in Mso *Leidensi*, neque ego lectorum et Tuae praesertim curiositati invidebo, non iis tantum quibus *Actorum* editores rationibus motus, sed praecipue ob egregiam opem, quam codex *Leidensis* antiquior meliorque *Fribergensi* textui affert, hunc enim WELLERUS »ex Saec. XV. initio esse suspi»catur." Sed en ipsum fragmentum, cui lectiones *Leidenses* nota Stavereniana *Voss.* 2 indicatas addam, *Acta* vero *Eruditorum* littera E.; lineolae erectae fines vss. in *Vossiano* produnt.

Duo[1] sunt extremi vertices mundi, quos appellant polos, septemtrio | nis et Austri. Quorum alter semper a nobis videtur,

---

*) Altes aus allen Theilen der Geschichte, Chemnitz 1764, Tom. VIII. Librum indicavit GEELIUS, ut et *Acta Eruditorum*, sed prioris copia non fuit.

[1]) *Duo* E., VO Voss. 2.

alter numquam[2]. In eo, qui a nobis cernitur[3] |, tria sunt signa[4] constituta, duo scilicet Arcti[5] et serpens, circum atque inter |' illas in morem fluminis means. Helice Arctus maior, minor Cynosura[6] appellatur, quae diversum quidem adspiciunt, nam dorsa earum sibimet mutuo ob | vertuntur[7], aversis huc atque illuc pedibus. Serpens vero[8] cauda cingit | Helicen[9], cetero circuitu Cynosuram, ita tamen ut easdem medius[10] interlabens se | paret. Cuius caput ad dextrum pedem eius, qui in geniculo stat, videtur extensum; | ille vero qui in geniculo stat quem Herculem dicunt, dextro pede caput premit serpentis[11], | capite ad[12] Austrum converso, et[12] humeris suis coronae tangit confinia. Ipsa autem corona | post tergum Herculis sita, capiti serpentis, quem Serpentarius tenet, appropinquat. | Serpentarius vero, qui a Graecis Ophiuchus[13] vocatur, sub Hercule positus ad Austrum | conversis[14] pedibus scorpionem calcat, serpente[15] praecinctus, quem utraque manu tenet[16]. Qui | plurima longitudine protentus[17] usque ad coronam extenditur. Iuxta huius serpentis | flexuosa volumina nullo alio interveniente signo[18] Bootes post tergum Arcti | maioris[19] videtur, pedibus ad virginem versis, nam virgo sub pedibus Bootis est consti | tuta. Contra guttur vero et pedes anteriores ursae maioris in commissura zodia | ci atque lactei

---

2) *alter nunquam.* Sic E., *om.* Voss. 2.
3) *cernitur* E., uidetur Voss. 2. — Cf. sqq.
4) signa Voss. 2, *genera* E.
5) arcturi Voss. 2. E. — Restitui *Arcti* e P. A. III. 1.
6) minor cinosura Voss. 2, *Cinosura minor* E.
7) Nam dorsa ear̄. sibim& mutuo obuertuntur Voss. 2, *om.* E.
8) *vero* E., quippe Voss. 2. — Praetuli *vero* ob sqq.
9) *helicen* E., helicem Voss. 2.
10) *easdem medius* E., medius easdem Voss. 2.
11) premit serpentis Voss. 2, *Draconis premit* E.
12) ad Voss. 2, om. E. — *Mox* et Voss. 2, om. E.
13) gcis ophiuchus Voss. 2, *Graeciso φιοχος* E.
14) conuersis Voss. 2, *versus* E.
15) calcat serpente Voss. 2, *versat serpentem* E.
16) tenet Voss. 2, *tenens* E.
17) protentus Voss. 2, *pertentus* E.
18) Iuxta — signo incl. om. E.
19) arcturi maioris Voss. 2, *maioris Arctnri* E.

circulorum gemini sunt locati, habentes a laevo latere agitatorem [20] | cum haedulis duobus, qui contra caput Helices [21] capite [22] verso pede dextro sinistrum | tauri cornu [23] tangere videtur. Iuxta geminos qua [24] zodiacus altissime erigitur, | contra ventrem ursae maioris cancer situs est, habens in dorso asellos [25]; albicante | inter eos nubecula [26] quae praesepium appellatur. At contra pedes eiusdem ursae posteriores [27] | inter cancrum et virginem leo dicitur constitutus, Booten [28] habens iuxta se. Sub pe | dibus vero agitatoris taurus iacet, uno pede protento ad Orionem [29], qui sub illo est | constitutus. Cepheus inter lyram et Cassiopeam [30] medius expansis brachiis, pedibus ad | terga [31] minoris ursae porrectis. Cassiopea contra volumen maximum septemtrio | nalis serpentis inter agitatorem, Perseum, Andromedam et Cepheum est locata [32]. In lacteo circulo inter pisces, Cassiopeam [33] atque arietem Andromeda consistit [34] cum triangulo | quem post tergum habere dicitur, caput versum habens ad alvum [35] equi, qui equus | supra est positus. Aries in commissura zodiaci atque aequinoctialis circulorum [36] | sub triangulo situs est, habens sub se cetum ad australem partem. At [37] proximum | ei signum pisces duo,

---

20) *agitatorem* E., agitorem Voss. 2, *eodem discrimine in sqq.*
21) helicis Voss. 2, E.
22) *capite* E.; *om.* Voss. 2. — Veram lectionem inspecta quaevis tabula docebit.
23) tauri cornu Voss. 2, *cornu tauri* E.
24) qua *vel* qui Voss. 2, *quo* E.
25) *Asellos* E., asello Voss. 2.
26) *nubecula* E., nubicula Voss. 2.
27) *posteriores* E., posterioris Voss. 2, *cuius fol.* 37 *hoc voc. explicit.*
28) booten Voss. 2, *Bootem* E.
29) *Orionem* E., orientem Voss. 2.
30) cassiepiam Voss. 2, *Casiepiam* E., et sic porro.
31) *terga* E., tram Voss. 2.
32) & cepheum ē locata Voss. 2, *Cepheumque consistit* E.
33) *pisces et Casiepiam* E., *om.* et Voss. 2.
34) ɔsistit Voss. 2, *locata est* E.
35) *alvum* E., *idem voluit scriba* Voss. 2, *in quo* aluūn, *sed* n *craso.*
36) circulorum Voss. 2, *circuli* E.
37) At Voss. 2, *ac* E.

quorum alter in Aquilonem erectus, alter in Austrum pronus; cau | dis tamen circulo [38] quodam connexis colligati sunt. Aquilonius ad Andromedam ex | tenditur, Austrinus ad aquarium. Iuxta autem pedes Andromedae a latere Cassi | opeae [39] Perseus ostenditur, Gorgonis caput manu sinistra tenens, cuius sub femore | sinistro iuxta caudam tauri Pleiades videntur constitutae. Lyra vero inter laevum crus | Herculis et cygnum [40] posita est. Sed [41] cygnus expansis alis volitanti [42] similis ad dextram manum Cephei dexteram [43] alam, sinistram ad pedes equi porrigit. | Inter pisces et equum caudamque [44] capricorni aquarius est collocatus, aquam urna | fundens, quae effusio [45] ad magnum piscem decurrit. In parte autem humillima | zodiaci iuxta sagittarium atque aquilam capricornus in commissura hiemalis [46] circuli ac signiferi situs est. Habet post se sagittarium [47] in commissura zodiaci atque lactei circulorum [48] sub | delphino constitutum. Est et sagitta quaedam sola sub cygno, iuxta aquilam | iacens. Supra capricorni vero caput [49] delphinus est positus, post caudam serpen | tis, qui [50] a serpentario tenetur. Sub ipso autem serpentario [51] scorpionem dicunt | esse locatum, ita ut pedibus serpentarii tangatur, et habere [52] sub se ad austra | lem plagam Centaurum [53] bestiam

---

38) circulo Voss. 2, *vinculo* E. — *An* cingulo?
39) a latē cassiepia Voss. 2, *alterius Casiepiae* E.
40) *et inter cygnum* E., *om.* inter Voss. 2.
41) S; & Voss. 2, *Sed* E. — *An* Sic et?
42) uolitanti Voss. 2, *volanti* E.
43) dexteram Voss. 2, *dextram* E.
44) caudamq; Voss. 2, *et caudam* E.
45) *effusio aquae ad* E., *om.* aquae Voss. 2.
46) *hyemalis* E.
47) *atque — se sagittarium* E., *om.* Voss. 2.
48) zodiaci atque lactei circulorum Voss. 2, *c. z. a. l.* E.
49) ca$\overset{\text{i}}{\text{p}}$corni $\overset{\text{o}}{\text{u}}$ caput Voss. 2, *om.* E.
50) *qui* E., que Voss. 2.
51) serpentario Voss. 2, *Sagittario* E.
52) habere Voss. 2, *habens* E.
53) ad australem plagā centaurū Voss. 2, *C. a. a. p.* E.

quasi manu[54] ad aram ferentem. Haec ara[55] a | quibusdam sacrarium vocatur, et est contra summitatem caudae scorpionis[56] ad Austrum | posita. Brachia vero scorpionis locum obtinent, quem[57] libram dicunt, quod in eo[58] | sol faciat aequinoctium[59] auctumnale. Hydra quoque iacet[60] in circulo aequi | noctiali in longitudinem[61] protenta, capite cancro, medietate leoni, cauda | virgini subiecta, corvum atque urnam in dorso gestans[62]. At sub pectore | tauri Orion gladio accinctus conspicitur lepori qui sub eius pedibus est super | positus[63]; habet autem post vestigia sua canem quem Sirium[64] quemque caniculam | appellant cancri signo subiectum, ante quem Antecanem sub geminis[65] cognos | cere potes. Post caudam vero Sirii ad Austrum navis, quam Argo dicunt, videtur effulgere[66]. At sub pede sinistro Orionis fluvius quem Eridanum[67] vocant | flexuoso[68] cursu perlabitur[69] usque ad cetum; cetus autem subiacet arieti ac piscibus[70], | longissimo tractu porrectus[71]. Post cuius caudam longo quidem intervallo sub | aquario et capricorno in Austrum porrectus[72] piscis magnus

---

54) quasi manu Voss. 2, *manu quasi* E.

55) Hcc ara a Voss. 2, om. *ara* E.

56) *scorpionis* E., scorpij Voss. 2. — Et ita in sqq.

57) quē Voss. 2, *quae* E.

58) eo quod in eo Voss. 2, *in eo quod* E.

59) faciat equinoctium Voss. 2, *Aequinoctium faciat* E.

60) quoq; iacet in Voss. 2, *quoniam iacet et* E.

61) in longitudine Voss. 2, *nimia longitudine* E.

62) in dorso gestans Voss. 2, *gestat in dorso* E.

63) eī pedib; ē suppositus Voss. 2 (*f. f.* 38 *r°*), *pedibus eius est suppositus* E.

64) h. autem p. vestigia s. canem quē sirium Voss. 2, *H. cum p. v. s. quem Syrium* E.

65) anticanem sub geminis Voss. 2, *sub geminis anticanem* E. — Correxi e Graeco *προκύων*.

66) *videtur effulgere* E., uideretur effugere Voss. 2.

67) herridiacū Voss. 2, *Eridanus* E.

68) *flexuosa* E., flexuo Voss. 2.

69) plabitur Voss. 2, *prolabitur* E.

70) piscib; Voss. 2, *pedibus* E.

71) porrectus Voss. 2, om. E.

72) in austrū porrect Voss. 2, om. E.

conspicitur, ultimum | eorum quae[73] videri possunt[74] signorum, effusionem urnae aquarii, qui[75] ad ipsum | usque decurrit, accipiens.

Haec igitur sunt, Vir Doctissime, quae membranis *Bibliothecae* nostrae continentur, quantum HYGINI fragmentum spectat. Quibus annotationes me supposuisse quasi librum edentem Tu aegre ferre noli, praeterea enim supersunt quaedam eiusdem argumenti, de quibus certiorem Te volo. Adiungo nempe accuratam huic scriptioni collationem ad textum meum, praeter annotationes subscriptas, codicis *Vossiani*. Scilicet iure queruntur multi de inutilium lectionum farragine multis editionibus subiecta, e quibus unum nominasse satis erit, COBETUM in oratione notissima. Et textui sane nullae subiiciantur lectiones, nisi quae ad ipsum textum constituendum inservierint, omniaque orthographica, calami lapsus, rasurae, secundae manus additamenta, alia omittantur, nisi raris illis locis, ubi hoc ipsum alicuius est momenti ad veritatem lectionis revera controversae diiudicandam. Quod eodem modo in annotationibus quaerendum est, nimirum ut quam paucissima ipsi textui subiungantur. Sed ceterae annotationes, et qui olim immodice laudati hodie nimis contemnuntur, excursus, ideo ne silentio premantur; necessariae sunt unicuique futuro editori, multisque accuratis lectoribus perpetuae collationes Manuscriptorum, ut de lectionum singularum pondere et vi penes lectores sit iudicium, non penes arbitrium dicam, an somnolentiam editorum. Collationes data opera edere, non se indignum putavit BAKIUS noster, neque ullum oporteret editorem sua dignitate tam esse oppletum magis quam plenum, ut illud contemneret. Vide quid AESCHYLO acciderit, in quo unus conferendus est codex *Laurentiano-Mediceus*, cuius una demum collatio typis mandata est, exstant autem hiberna grandine plura, e quibus fragmina vix delibamus. Utinam DINDORFIUS, vir summus, optimam illam quam habet *φιλαισχύλοις* avide exspectantibus largiri velit. Sed haec iam fere sunt decantata. Nos autem causam

---

73) *quae* E., quē Voss. 2.
74) possunt Voss. 2, *potest*, *post* E.
75) qui Voss. 2, *quia* E.

tueamur, neque illos morabimur, qui hoc opus ut servile et mechanicum neque liberali dignum ingenio naso suspendunt adunco magis quam emuncto. Te certe scio, si vel ipsi Tibi vel alii cuidam philologo HYGINUM sectanti inspecta haec erunt, consilium hac in re meum non esse improbaturum.

Ipsi HYGINO emendando manus non admovi, adhibui tamen, ubi de configuratione signorum controversia subnasci poterat, effigies vetustissimas et quam proximas ipsi scriptori, quae levi negotio comparare poteram et ut sequentibus viam monstrarunt signorum coelestium delineatoribus, sic ipsae haud dubie ad exempla vetustiora descripta sunt. Quam vellem Tu hic ipse adesses, ut Tua haec auctoritate scribere possem, non mea ex coniectura. Nec delenitur hoc desiderium nisi reputando, apud nostrates etiam et dilectissimo hoc ipso in oppido neque iis studiis, quae nunc mea sunt, auxilia defuisse, nec defuturos, si ad aliam quamdam litterarum partem me converterem, ut neque in HYGINO defuissent, si ego hoc de industria agens plus quam lusissem in argumento propter Te quam suapte natura acceptiore. Effigies autem, de quibus dixi, videre sunt in antiquissimo item et pulcherrimo, minimae vero auctoritatis codice, qui CAESARIS GERMANICI continet *Aratea*, et GROTIO inservivit. Quod ipsum facili via me ducit ad unicum quod addendum superest, nimis enim excrevit haec epistola, quam cui admisceantur etiam plura. Codex est Catalogi prioris 79 e Latinis VOSSII manuscriptis, membranaceus in quarto, cuius pulchritudinem laudat GROTIUS in praefatione, scribarum simul imperitiam graviter incusans et depravationem lectionum. Ipsius codicis species fallit atque oculum decipit; duo insunt textus, alter uncialibus litteris pulcherrime scriptus eaque, quam videbis apud GROTIUM, ratione dispositus, alter scholiorum in modum additus saeculo quarto decimo, characteribus, quas monachales appellat clarissimus ille HUGO nostras, ego *Gothicos* dicens sat perspicue me loqui opinor. Alter textus reapse minus quam specie valet, neque aetate sincerior est, quod GEELIUM non latuit, dum enim omnia sacculi septimi sextive imaginem fidelissime referant, quorum litterae unciales scribae essent notissimae, una planetarii effigies aliquot habet minusculas, e quibus GEELIUS protractis una et altera, formae ante no-

num saeculum incognitae, manifestum tenuit falsarium.

Praeter ea, quae hoc e codice Grotius edidit, unum inest folium, duo carminis fragmenta continens, quae Avieni sunt. Ultimum hoc annotavit Iulii Caesaris filius Iosephus Scaliger, cuius manu plures schedulae de variis argumentis collectae inque unum compactae hic asservantur nomine codicis Scaligerani 61, chartacei in 4°. Scholiasta autem qui fertur Germanici Mso *Voss.* non inest, ut par erat, nam quid illi cum *Germanico*? Quod sensit Grotius, hodieque scimus omnes, digitoque ostendit, qui iam mea vice loquatur. Nam quid ego de hoc scilicet scholiasta, cui suum iamdudum tribuit doctissimus Suringar, qui nunc gymnasium regit *Leidense* nostrum, meque sibi amicum credat, qualem mihi se ipse ostenderit. Suringarius igitur fuse hoc argumentum illustravit in programmate scholastico, »*de Mythographo Astronomico, qui vulgo dicitur Scholiastes Germanici,*" Leidae a. 1842.

Habes iam Doctissime Bursian quae desiderasti; quam vellem essent ampliora. Sed habent sua fata libelli, et hic quoque parvus, at invideo, sine me liber ibit in urbem, heu, quo iam domino non licet ire. Quod Tibi item Vir Doctissime dictum volo *Athenas* tendenti. Quo postquam adveneris, mea etiam gratia *Olympieum* adito. Invise illam columnam, quae ventorum impetu his ipsis diebus de basi deiecta est, ibique, ut Sulpicius in *Saronico* navigans, fragilitatem rerum humanarum reputa, quod nunc ego Tibi scribens facio, dum personant aures nuntiis novi imperii. Vale.

Scripsi Lugduni-Batavorum
a. d. VII *Kal. Dec.* CIƆIƆCCCLII.

(*Collationem indicabit versa pagina.*)